

sio Christi, cum non possint sacramenta ullam habere virtutem ad gratiam, nisi derivatam ex passione Christi, sed respectu sacramentorum veteris legis passio Christi non habebat activitatem, et influxum activum: ergo neque sacramenta illa antiqua, si quidem impossibile est quod participarent activitatem influendi nisi derivatam a passione Christi. Unde et vocantur a Paulo: *Infirma et egena elementa*, Galat. iv, quod tamen dici non posset, si virtutem haberent dandi gratiam active, sicut habent nostra sacramenta.

XXIII. Nec responderi potest, in definitione illa pontificis non includi nisi sacramenta veteris legis, secundum quod veteris legis erant; circumcisio autem, licet servierit in lege veteri, non tamen ex Moyse fuit, sed ex patribus, ut dicitur Joan. vii, et ideo non fuit proprie sacramentum veteris legis, sed ante legem instituta: et præsertim, quia possumus in circumcisione duo considerare; unum est quatenus deserviebat legi, et erat sacramentum veteris legis, et sic non habuit virtutem justificandi, proceditque de ea pontificis definitio; alio modo ut causabat cum remedio legis naturæ, tamquam determinatio quædam ejus, et sic de ea pontifex non loquitur, cum in ea definitione non loquatur de sacramentis legis naturæ, sed legis veteris; et consequenter neque de circumcisione loquitur ut pertinet ad legem naturæ.

XXIV. Sed hæc responsio non evacuat vim decreti pontificis. Primo quidem, quia Scriptura loquens de inefficacia legis veteris, inter inefficaciam ejus et sacramentorum ejus numerat circumcisionem, ut patet in epistola ad Galatas præsertim cap. v: *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Testificor autem omni homini circumci-*

*denti se, quoniam debitor est universæ legis. Evacuati estis a Christo qui in lege justificamini: a gratia excidistis.* Ecce pro eodem computat Apostolus justificari in lege, et in circumcisione; et quod circumciscus debitor est legis: ergo eodem modo reprobat ab efficacia justificandi circumcisionem, sicut legem.

XXV. Secundo, quia sacramenta veteris legis perfectiora erant sacramentis legis naturæ, cum cognitio Dei pro tempore creverit; et quanto magis appropinquabant ad Christum, tanto perfectius illum exprimebant et significabant; si ergo circumcisio ut communicabat cum sacramento legis naturæ conferebat gratiam active ex opere operato, non debebat hanc excellentiam amittere ex eo quod pertinebat etiam ad legem veterem, cum hæc non haberet specialem repugnantiam ad dandam istam gratiam, quam non haberet sacramentum legis naturæ.

XXVI. Omitto responsionem aliorum, qui dicunt circumcisionem non dedisse gratiam quatenus non aperiebat januam regni cælorum, quam tamen baptismus aperit; non enim pontifex differentiam inter nostra sacramenta et vetera ponit ex parte hujus effectus, qui est aperire januam cœli, sed ex parte gratiæ dandæ, quam dicit nec dedisse, nec continuisse: ergo non bene explicatur decretum pontificis per hoc quod non aperuerit januam regni cœlestis. Effectus enim hic dependebat ab extrinseca causa, scilicet, a reali exhibitione satisfactionis pro peccato; si autem in proprio et per se effectu sacramentorum, qui est collatio gratiæ, communicabant sacramenta antiqua et nostra, quia utraque active illam dabant, cessat differentia assignata a pontifice, qui in proprio sacramentorum effectu illam assignavit.

Unde non posuit differentiam in peculiari effectu hujus aut illius sacramenti, sed in effectu communi omnium, scilicet gratia; male ergo restringitur ad effectus particulares hujus aut illius sacramenti, de quibus pontifex non est locutus; sed in effectu communi omnium (scilicet gratia) differentia assignanda est. Vide S. Thomam in iv, dist. i, quæst. ii, art. vi ad secundum.

XXVII. Secundo autem dicendum est, circumcisionem dedisse parvulis gratiam ex opere operato passive. Ratio est, quia Deus causabat in illis gratiam ad susceptionem circumcisionis præter omnem actum et meritum operantis: ergo dabatur gratia ex opere operato passive. Patet consequentia, quia conferri gratiam ex opere operato passive, est solum Deum active dare talem gratiam, mediante aliquo opere, quod non sit meritum operantis. Antecedens autem probatur, nam certum est parvulos per circumcisionem, et remedium legis naturæ fuisse justificatos, et quod illis remitteretur originale peccatum, ut determinat Innocentius papa in capite Majores, de baptismo; circumcisio autem non conferebat eam justificationem mediante merito ipsius suscipientis, quando suscipiens erat parvulus, ut patet: nec mediante merito offerentis, aut merito Ecclesiæ; tum, quia esset valde in certa justificatio parvuli, sicut esset incertum, an offerens vel minister tunc haberet meritum; tum, quia meritum Ecclesiæ non potest mereri de condigno alteri primam gratiam, cum hoc sit proprium capitis; solum autem potest impetrare, aut de congruo gratiam mereri, quod non fit nisi mediante motu illius, cui conferenda est talis gratia, quod in parvulis locum non habet. Alias autem si sine tali motu possent ipsi mereri primam gratiam, posset et

modo Ecclesia mereri parvulo aut dormienti primam gratiam, cum non sit minoris meriti Ecclesia modo quam tunc; posset etiam Ecclesia justificare parvulos suos sine externa cæremonia per solum actum internum, sicque non indignisset sacramentis pro parvulis suis.

XXVIII. Denique impossibile est, quod gratia quæ confertur parvulis, innitatur meritis Ecclesiæ, sed Christi; ergo non dependet a meritis Ecclesiæ collatio talis gratiæ, sed ex fide Christi dabatur protestando illam signo externo; et ita talis externa protestatio serviebat ad hoc, ut ea passive suscepta, Deus solus gratiam infunderet, non tamen ipsi signo activitatem producendæ gratiæ conferret.

CIRCUMCISIO NON DABAT GRATIAM  
ADULTIS EX OPERE OPERATO.

XXIX. Quoad tertium punctum dicendum est primo, quod adulto, quando conferebatur circumcisio, aut remedium legis naturæ, non dabatur amplior gratia, quam ejus exigeret dispositio, et ex opere operato passive; unde si nullam dispositionem afferebat, sed tantum attritionem, verbi gratia, non faciebat ex attrito contritum. Et in summa, tantum conferebat adulto susceptio circumcisionis, quantum aliud opus bonum, si fieret ab eo. Hæc est contra Cabrera hic dubio primo, §. vi. Est tamen magistri Nugno infra quæst. lxx, art. ii, dub. ii, conclusione quarta: et Suarez hic disput. x, sectione prima.

XXX. Et fundamentum ejus est, quia sacramentum ipsum non erat principium active influens gratiam, nec habens adjunctam activitatem ad dandam gratiam, sicut habent nostra sacramenta; sed solus Deus ad præsentiam et susceptionem

illius gratiam causabat : ergo ut adultus ad susceptionem et præsentiam illius sacramenti justificaretur, debebat habere dispositionem, perinde ac si non juvaretur aliquo modo ab illo sacramento, sed eo modo, quo respectu solius Dei infundentis gratiam requiritur dispositio ; respectu autem solius Dei infundentis gratiam requiritur, quod subjectum disponatur dispositione proportionata ad formam, quæ infunditur : ergo nisi hac dispositione dispositum esset tunc subjectum, non haberet gratiam a Deo ; nec enim erat alia causa præter Deum influens tunc gratiam, ratione cujus ea adhibita in subjecto non habente repugnantem dispositionem, deberet gratia infundi. Licet autem Deus se solo extra sacramentum possit gratiam dare ultra propriam dispositionem, vel etiam sine proportionata dispositione, tamen non est aliquod fundamentum, ut id afferamus fecisse in lege veteri, in qua gratia non ita large dabatur sicut in ista : ergo neque Deus se solo dabat gratiam adulto, et justificabat justificatione adulti, nisi mediante dispositione ejus.

XXXI. Et quidem si Deus se solo dabat gratiam ultra propriam dispositionem, et faciebat ex attrito contritum, quid minus habebant homines in illa lege quam modo, quantum attinet ad justificationem adultorum ? Quod enim id non faceret tunc mediante instrumento, sicut modo, nihil refert, dummodo sine instrumento habeant homines a Deo eandem gratiam, quam modo. Non enim legis suavitas, et gratiæ effusio in eo est, quod per instrumenta detur, vel non detur ; sed in eo quod detur, sive mediante instrumento, sive non : ergo æqualis gratia dabatur ad justificandum adultum tunc, sicut modo, licet differentia esset in instrumento, per

quod dabatur. Et quidem si in lege gratiæ Deus sine instrumento non facit ex attrito contritum, neque ultra propriam dispositionem dat gratiam, quomodo putandum est sine instrumento aliquo id fecisse in lege veteri solum ad præsentiam alicujus, quod se habebat mere passive in ordine ad gratiam.

XXXII. Itaque ex imperfectione illius legis, et deficiencia gratiæ, et infirmitate sacramentorum, quæ erant vacua, accipiendum est, quod in justificatione adulti non nisi conformiter ad dispositionem subjecti gratia dabatur : in parvulis autem ob necessitatem, quia illi se disponere non poterant, nec peccatum propria voluntate contraxerant, dicendum est quod gratia dabatur præter meritum operantis, et ex opere operato passive. Ad justificationem vero adultorum id extendere non est fundamentum, cum illa sacramenta non essent activa gratiæ, et Deus se solo nunquam gratiam det de lege ordinaria, nisi conformiter ad susipientis dispositionem.

XXXIII. Et si quæras, quomodo fides Christi in circumcissione concurrebat ad remittendum peccatum respondetur, quod per quamdam continuationem, et relationem ad Christum mediatorem, de quo vide S. Thomam in iv, dist. i, quæst. ii, art. vi, ubi dicit, quod fides non juvabat parvulum, ut erat actus personæ, sed ex parte objecti, quod respiciebat ; in quo communicabat cum nostris sacramentis, in quantum justificabat ex objecto quasi ex opere operato ; et in hoc fundatur illa distinctio de opere operato active, vel passive.

XXXIV. Secundo dicendum est, quod respectu parvulorum non erat necessaria actualis dispositio ex parte ministri, aut parentis, vel offerentis parvulum ; sed si cum debita intentione facerent, quod per illud

signum externum Deus instituerat, aut Ecclesia determinaverat, justificabatur parvulus, etiamsi minister fidem non haberet, aut alium actum interiorem. Ratio est, quia sicut baptismus modo cum debita intentione datus non pendet a bonitate ministri, quod habeat effectum suum, ita circumcissionis effectus non fundabatur in bonitate ministri, sed in misericordia Dei, qui per fidem Christi eo signo protestatam justificabat parvulum ; ergo quantumcumque careret minister bonitate, si faciebat cum debita intentione quod fideles communiter faciebant, parvulum justificaret.

XXXV. Et præterea, quia alias remedium parvulorum esset valde incertum, si remissio originalis dependeret a bonitate ministri ; sicut modo esset valde incertum remedium baptismi, si dependeret a bonitate conferentis : ergo sicut modo non requiritur bonitas ministri, sed intentio cum debita forma et materia, ita tunc in circumcissione non operabatur bonitas ministri, aut offerentis, vel etiam Ecclesiæ (cum in his non fundaretur effectus circumcissionis, sed in promissione Dei facta susceptioni sacramenti) sed solum susceptio illa cum debita intentione ministri.

XXXVI. Unde constat, quod si si aliquis se circumcidere, non intentione faciendi quod faciebant fideles, sed alio ritu aut intentione, sicut plerique gentiles circumcidebantur, tales non justificabantur, quia sacramentum non conficiebant. Si ergo contingeret in populo Judaico circumcidi infantem sine debita intentione, tunc vel aliquid amplius circumcidendum esset de pellicula, si commode fieri posset, ut aliqui dicunt, vel applicandum esset infanti remedium legis naturæ, sicut applicabatur feminis, aut etiam masculis ante octavum

diem, si periculum vitæ immineret ; nam quoad externam designationem, quæ fiebat in carne, sufficienter manebat designatus, etiamsi sine intentione esset facta circumcissio, et moraliter jam ille non poterat amplius circumcidi ; sicque aliud externum signum fidei protestativum adhibendum erat, quale ut dixi feminis in eodem populo adhibebatur.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXXVII. Sed objicies primo : Circumcissio causabat gratiam in parvulo sine media aliqua dispositione ejus : ergo ex opere operato. Consequentia patet, quia nullus requirebatur actus operantis ad habendam talem gratiam : ergo dabatur præcise ratione operis operati.

XXXVIII. Confirmatur, quia ut sacramenta dicantur conferre gratiam ex opere operato, non est necesse quod ipsa habeant influxum activum ad dandam talem gratiam, sed sufficit quod ita infallibiliter habeant illam annexam, quod ad præsentiam illorum Deus gratiam conferat, et non medio opere ipsius operantis ; sed hoc modo se habebat circumcissio : ergo ex opere operato conferebat gratiam. Minor constat, quia circumcissio ita habebat infallibilem promissionem justificandi parvulum sine aliquo ipsius actu, sicut nunc baptismus : ergo. Major ostenditur, quia etiamsi nostra sacramenta physice non influant gratiam, sed solum moraliter, ut quidam tenent, adhuc debet salvari quod ex opere operato dent gratiam ; et tamen tunc solum Deus ad præsentiam illorum causaret gratiam, ipsa vero non causarent illam ; ergo eodem modo, si circumcissio habebat adjunctam infallibilem promissionem gratiæ, licet solus Deus ad

præsentiam illius eam causaret, diceretur ex opere operato conferre, siquidem independenter ab opere operantis dabatur per circumcisionem gratia.

XXXIX. Confirmatur secundo, quia conferre gratiam ex opere operato, est conferre gratiam vi sua, et secundum causalitatem sui generis sine dependentia a suscipientis dispositione; sed circumcisio erat causa moralis gratiæ independens a dispositione suscipientis: ergo dabat illam ex vi sua in eo genere in quod est causa, scilicet ut causa moralis: ergo absolute illam dabat ex opere operato; ad hoc enim non requiritur quod ut causa physica gratiam præbeat, nec ut causa principalis, sed quod in eo genere, in quo est causa, ex vi sua, et non mediante dispositione suscipientis ea conferatur a sacramento.

XL. Respondetur ad principale argumentum distinguendo consequens; ex opere operato passive, concedo; active, nego. Et similiter ad probationem dicitur, quod licet non requirebatur aliquis actus ex parte operantis, et solum dabatur ratione susceptionis sacramenti, non tamen active præbente gratiam tali operi operato, id est sacramento suscepto; sed ipsa susceptione passive se habente Deus solus causabat gratiam in anima.

XLI. Ad primam confirmationem respondetur, quod ut conferatur gratia ex opere operato active, non sufficit quod ad præsentiam aliquorum Deus causet gratiam, sed requiritur quod active etiam ipsa se habeant ad gratiam dandam in suo genere, id est, eo modo quo sunt causæ. Ut autem ex opere operato passive gratia conferatur, sufficit quod ad positionem eorum Deus gratiam conferat. Ad probationem majoris dicitur, quod etiamsi nostra sacramenta solum essent causæ mo-

rales gratiæ, longe tamen a circumcissione et antiquis sacramentis differrent, quia sacramenta antiqua, non continebant valorem pretii redemptionis nostræ, et gratiæ per Christum dandæ; nostra autem sacramenta valorem illum continent, sicut nummus continet valorem, quem respublica aut princeps illi confert; quæ continentia moralis reducit ad activitatem, seu efficientiam moralem; sacramenta autem antiqua non se habent ut causæ morales active, sed ut conditiones moraliter requisitæ, ad quarum positionem Deus gratiam conferebat.

XLII. Unde valorem non habebant, cui responderet particularis et specialis gradus gratiæ, præter opus ipsius operantis; et sic erant vacua elementa, ad quorum positionem licet Deus daret gratiam, non tamen ipsa habebant valorem, ut ratione illius peculiariter eis responderet gratia; sed id totum mediante opere operantis mensurabatur. At vero nostra sacramenta, etiamsi physice non causent gratiam (quod impertinens est ad rationem operis operati) tamen continent valorem ad gratiam, nec illum solum expectant a dispositione nostra; et ideo ultra propriam dispositionem correspondet eis gradus gratiæ peculiaris. Et sicut actus contritionis et pœnitentiæ, licet physice non concurrat ad productionem gratiæ, tamen ratione illius datur gratia, et secundum valorem ejus mensuratur gratia, quæ datur; sic licet nostra sacramenta physica instrumenta non essent, si tamen valorem habent, cui gratia commensuretur ultra propriam dispositionem, dicuntur ex opere operato active dare gratiam, quia habent valorem, cui gratia correspondet, ultra dispositionem recipientis; qui valor activus est in genere causandi moraliter, licet physica activitas non sit.

XLIII. Ad rationem ergo operis operati non per se pertinet activitas physica instrumentalis, sed sufficit activitas moralis, et valor, cui per se correspondeat gratia; quam tamen activitatem sacramenta antiqua non haberent, cum nondum esset exhibitus valor passionis Christi, et consequenter nec eis collatus; sed solum in genere morali se habebant ut conditio sine qua non, et potius ut fidejussiones passionis Christi, ad quarum positionem dabat quidem Deus gratiam, non commensuratum valori eorum, sed dispositioni suscipientis; et ideo dabatur gratia veluti *al fiado*, o *al præs-tado*, dependenter a passione Christi. Et ita cum totus valor, cui commensurabatur gratia danda, responderet operi operantis, non dicebantur simpliciter illa sacramenta dare ex opere operato active gratiam, neque activitate physica, neque morali; dicebatur tamen ex opere operato passive dare, quia ad susceptionem illorum sine actu suscipientis in parvulo, a solo Deo gratia conferebatur, ipsis tamen sacramentis nullam activitatem, nec physicam, nec moralem conferentibus.

XLIV. Ad secundam confirmationem respondetur, quod conferre vi sua activa, est conferre gratiam ex opere operato active; sacramenta autem antiqua, etiam in eo genere causandi moraliter, non habebant vim activam, sed solum erant conditiones quædam, et protestationes fidei, ad quarum præsentiam Deus causabat gratiam. Unde non continebant moralem valorem, sicut nostra, ut ratione eorum corresponderet eis particularis gradus gratiæ, præter dispositionem operantis. Unde licet daretur gratia aliquando sine opere operantis, non tamen dabatur ab ipsis sacramentis, etiam in genere causæ moralis, sed Deus ad præsentiam passivam eorum da-

bat; non quod Deus in genere causæ moralis, et non physicæ daret, sed quod ipsa sacramenta non dabant illam, quia non importabant valorem, cui gratia corresponderet; et ideo licet daretur ad præsentiam illorum, non tamen ipsa dabant: nostra autem sacramenta, etiamsi physice non causarent gratiam, tamen in genere causæ moralis causarent illam, quia valorem habent ad illam; et ita dicuntur dare gratiam.

XLV. Secundo arguitur: Non est dare medium inter conferre gratiam ex opere operato, et ex opere operantis: ergo si vere salvatur, quod sacramenta antiqua darent gratiam non ex opere operantis, ut in parvulis, restat quod illam dederint ex opere operato. Antecedens probatur, nam gratia semper datur a Deo ratione alicujus operis; opus autem ratione cujus datur gratia, vel debet fieri ab ipso suscipiente gratiam, vel ab alio supponitur factum, inter hæc enim non est dare medium. Opus autem quod fit ab ipso suscipiente gratiam, dicitur opus operantis; et opus factum ab alio, ratione cujus huic datur gratia, dicitur opus operatum. Sacramenta autem antiqua non dabant gratiam ratione operis facti ab ipso suscipiente, quando ea dabatur parvulis: ergo ratione operis operati.

XLVI. Confirmatur primo, quia signum practicum necessario debet esse factivum ejus, quod significat: sed circumcisio erat signum practicum gratiæ: ergo effectivum ejus. Major manifesta est, quia non est alia differentia inter signum practicum et speculativum, nisi quod hoc tantum significat, et repræsentat suum significatum; illud autem non solum significare et repræsentare habet, sed etiam operari. Minor autem constat ex supradictis quæst. LX, ubi ostendimus de ratione sa-